

www.e-rara.ch

**Arbor frugifera ex eremo, sive meditationes sacrae in quadragesimam,
de passione Domini, et dominicas anni**

Lang, Michael

[Einsiedeln], 1705

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rw 16

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24978>

Dominica secunda quadragesimae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

vo majorem proponens fervorem, Jesum non tantum à longè, sequi propono, sed etiam cum ipso, in ipsum atrium Passionis suæ per operationem perfectam, & contemplationem fervidam introibo. Amen.

Fructus: Frequens cogitatio, & recogitatio imperfectionum in exequendis Regulis, & fervidum studium easdem imperfectiones emendandi!

Tessera: Gloria magna sequi Dominum! Persequar me, sequar te! semper optem sequi te! *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*



Dominica secunda Quadragesimæ.

Dedit alap am Jesu! Joan. 18.

Pvnctum 1. Considera, quantâ patientiâ Jesus ad omnia, maximè Malcho se percutienti responderit, ipsum correxerit lenissimis verbis. Hinc S. Ephrem exclamat: *Grande miraculum est, cernere Christi Regis, ac Domini nostri mansuetudinem; palmâ cæsus à servo rationabiliter respondit, cum omni mansuetudine, ac reverentiâ: servus furit, Dominus patitur: irascitur servus, & Dominus in sua benignitate persistit: Tu ergò, ô homo, non sustines ab homine, tecum ejusdem naturæ, contumelijs affici? imitare Domini tui patientiam!*

Propositum: O immensam mansuetudinem Domini mei! Infinita Majestas ab impurissi-

purissimo servulo cæditur ; Vultus ille , in quem desiderant Angeli prospicere , percutitur , & percussus non avertit suam faciem , non indignatur , non vociferatur , non ulciscitur ! sed mansuetissimis verbis interrogat : *Quid me cædis ?* Obstupescite cœli super hoc ! Oza profanè Arcam Dei tangit , & interficitur ; Jeroboam Rex manum extendit contra Prophetam , & illa confestim arefcit ! Malchus percutit Dominum Dominorum , Sanctum Sanctorum ; & nihil mali patitur ! Erubescere fordide peccator ! serve nequam ! quòd ad minimam offensam , & verbum injuriosum statim ringeris , & instar canis mordere cupis offendentes te ! Ah ! non sic deinceps , mi Jesu , non sic ! seriò propono iracundiæ motus , quàm primùm sensero , reprimere , & maximè in verbis mansuetum me erga omnes exhibere , me injuriantibus , vel quocumque modo offendentibus ex corde dimittere , imò ab ipsis veniam petere . Vel denique , si quid contra honorem Divinum sit , ita , ut corrigi debeat , non amaris verbis , vel aculeatis dictarijs , sed modo quo potero , mansuetiori corrigere .

Fructus : In omnibus , & ad omnia leniter , & mansuetè respondere : ex corde mihi injuriam inferentibus dimittere , & si opus sit , corrigere modo , quo fieri potest , leniori ; &c.

Tessera : Responsio mollis frangit iram .

Discite à me , quia mitis sum , & humilis corde !

Punctum 2. Considera, quinam Christo alapam infligant? *Primo* Simon de Cassia ait: *Alapat Christi faciem omnis, qui veritatem expugnat, & qui opprimit veram justitiam, quam accepit: Lib. 13.* *Secundo*, S. Augustinus: *Grande scelus admisit servus, qui Christum percussit in facie, ut videant, qui, ut hominibus placeant, & bonum omittunt, aut mala perpetrant, an non simili contumeliâ Christum efficiant?*

Propositum: O Anima mea! quoties humani respectus te seduxerunt, ut in hominis gratiam Deum offenderes? Cur tibi ipsi non dicis, quod Divo Francisco quondam inter Dei, hominumque servitium dubio dictum fuit: *Quis poterit tibi melius facere, pauper servus, an Dives Dominus?* O mi Deus! tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita: Da gratiam tuam, ut omnem cogitatum, intentionem, respectum meum ad te solum convertam! Propono, Domine! propono, singulariter custodire vias meas, ut propter respectum humanum non delinquam, contra Deum, vel proximum verbis injuriosis, detractorijs, simulatorijs, mendacibus, illusorijs, aut alijs molestijs, quæ non sincerè dirigantur ad te Deum meum! Hoc meum propositum, ut custodiam, quoties me errâsse invenero, alapam mihi in unione alapæ Christi, & à Jesu meo susceptæ, infligam.

Fructus: *Veritatem ex corde, & ore proferre, juxta Regulam S. Benedicti cap. 4. neque curare respectum hominum.*

Tessera:

Tessera: Diem hominis non desideravi. Oculi mei semper ad Dominum. Sicut oculi ancillæ in manibus Domine suæ, ita oculi nostri semper ad Dominum! Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo, nescio enim, quamdiù subsistam, & si post modicum tollat me factor meus. Iob. 32.

Punctum 3. Considera gravitatem doloris corporalis, injuriæ, scilicet Personæ Divinæ inflictæ: de qua Salmeron, tract. 20. de Passione, ait: Habuit & aliam circumstantiam, quia alapa isthæc insonuit per totam aulam, cùm esset impressa, & ob id risum, & gaudium, quod tum Pontifici, tum Iudæis assistentibus concitavit; qui omnes talis contumeliæ irrogatione oblectati fuerant. Talem alapam cælum, ac terram personantem dant, qui letantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis: Qui tunc cæsus est colaphis Iudæorum, nunc ceditur blasphemys falforum Christianorum, inquit S. Anselmus.

Propositum: O Innocentissime Jesu! ah! quomodo circumdederunt te canes multi, quàm certatim alapis percutiunt speciosissimam faciem tuam impij scurræ? O Angeli, cur non vindicatis injurias Regis vestri? O elementa, & creaturæ omnes, cur non pugnatís pro Domino vestro contra insensatos? Sed nimirum hæc est hora patiendi pro me: Ideo bone Jesu! non avertis faciem tuam ab increpantibus, & conspuentibus in te! Ah! quid ego rependam pro tot injurijs propter me toleratis? Propono saltem omnes illatas à quocumque injurias non tantum foris patien-

patienter ferre, sed magis interiùs me cum Jesu conformare: amorem proprium, & voluntatem propriam abnegare, & quidquid magis interioribus hiscè affectibus adversatur, in unione dolorum, quos Jesus maxime propter peccata nostra interiùs in anima percipiebat, patienter sustinere.

Fructus: Injuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Cap. 4. Reg. S. P. Benedicti.

Tessera: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Si patimur, & conregnabimus.



FERIA II.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

Querebant adversùs eum falsum testimonium.

Punctum 1. Considera, quot mendacijs Jesus fuerit impetitus, sed non invenerunt exitum, quomodò ipsum falsum testimonium colorarent, vel quodammodo sic fictè proferrent, ut vel virisimile habere videretur: Nam teste Origine: *Falsa testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur, adversùs Iesum autem, nec color inveniebatur, qui posset adjuvare mendacia: adeò munda fuit vita Iesu, & omninò irreprehensibilis.* Non est mirum, quòd his mendacijs nil effecerint Judæi, quia, ut ait S. Ephrem, tom. 1. de Virt. & Vitijs: *Qui deletur mendacijs, hic in verbis suis omnem perdit auctoritatem:*

ritatem : Et S. Hyeronimus *ad Iulian. Lib. 1. Epist. 2.* *Antiquus sermo est, mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur. Cave tibi à mendacijs.*

Propositum : O Deus meus ! tu es via, veritas, & vita ! Suscipe me in scholam tuam, & fac discipulum veritatis ! Abrenuntio patri mendacij, & omnibus dolis, ac fraudibus ipsius, firmissimèque propono, cum omnibus hominibus, amicis, & inimicis, maximè autem cum Superioribus candidè, & sincerè versari, omnemque duplicitatem, ambiguitatem amore Dei patienter ferre.

Fructus : Detestatio, & fuga mendacij, & fallaciæ !

Tessera : *Benedictus Deus Veritatis !*

Punctum 2. Considera Jesum ad omnia sibi imposita tacentem : *Hoc autem inter alias rationes ideo factum est, inquit Simon de Cassia lib. 13. quia responsum est per creaturas, quæ de ipso moriente testatæ sunt per insolitas, & horribiles actiones, scilicet : terræ motu, solis obscuracione, petrarum scissione, quæ Divinam virtutem testificabantur. In impositis fallacijs tace & tu ! quia virtus & veritas non manent absconditæ : testabuntur & illæ te esse innocentem, & vitæ probitas non indiget defensione.*

Propositum : O anima mea ! durum tibi videtur, si homines de te malè sentiant, & de tuis factis malè iudicent ? Sed illi faciunt, quod solent homines, tu fac, quod decet fidelem Dei servum, cui satis est Domino suo

suo placere. Si hominibus placerem, adhuc, dixit Apostolus, Christi servus non essem! Non est servus major Domino suo! Si Dominum Beelzebub vocaverunt, etiam sanctos ejus vocabunt. Igitur gaudebo deinceps, etiamsi non tantum mihi aliena imponantur, verum etiam bona, quæ facio, si malè interpretentur; & sic dicant alij de me, & operibus meis, quidquid velint, ego soli Deo placere studebo. Fiat ergo de me, in me, circa me, quidquid Deus velit, homines non curabo, cum non sim major, vel minor coram Deo, ideo super hoc unicum intendam, beneplacitum scilicet: Divinæ voluntatis in omnibus meis agendis!

Fructus: Sinistra judicia, & malas interpretationes aliorum de nobis, & actibus nostris Christo donare, in unione patientiæ, quâ sinistra de se judicia pertulit.

Tessera: *Mihi minimum est, ut judicer ab humano die: qui me judicat Dominus est!*

Gloria mea hæc est, testimonium conscientiæ meæ!

Punctum 3. Considera, Jesum auditis falsis testibus tacuisse, & reflecte ad hoc, quod Origines ait; *homil. 15. in Matthæum: Majus est, liberè, & fortiter silere, quàm defendere se, sinè ullo profectu.* Nam ubi defensio cassâ, & inutilis agnoscitur futura, illustriùs, & meliùs est, tacere.

Propositum: O anima mea! nunquam habebis quietem, si pax tua dependeat ab ore

D

homi-

hominum: quidquid illi de te dixerint, & fenserint, semper debes peius de te sentire, qui nihil ex de habes, quàm nihilum, & peccatum. Ideo omnimodè me Divinæ voluntati resignans, sive bonum de me dicatur, sive malum, semper dicam: *Sit Nomen Domini benedictum!* specialiter verò, si homines me vituperent, etiam in bonis, & falsa de me dicant, filebo, & me singulariter exercebo in cognitione defectuum in operibus meis commissorum, ut sunt distractiones, tepiditates, &c. Sic semper ipsemet habebò materiam malè de me sentiendi, nec alijs succensere potero; quia etiam optima mea opera, vel sunt falsa, aut sunt ut pannus menstruata.

Fructus: Taciturnitas in calumnijs, & reflexio ad proprios defectus.

Tessera: Bonum mihi, quia humiliasti me!



FERIA III.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

Quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est Mortis!

P*vnctum* 1. Considera, quòd impius, & iniquus Judex, non ad dictamen rationis, sed ad iniquum affectum voluntatis recurrit, ut suo iudicio, utpote Pontificis, & Præfidis,

fidis, prælato, alios ad similem sententiam cogat, & impellat: Unde Euthymius ait: *Auxit etiam (Caiphæ) suo dicto accusationem, & blasphemiam, petens responsum, & quasi manifesto ejus delicto cogens eos ad pronuntiandam sententiam.* O quàm multi sunt, qui suis malis exemplis, & dictaminibus alios ad similia impellunt, utinam tu non ex illis esses!

Propositum: O quoties sub veste sacra, & tonsura, vitam sæcularem egi, &, cùm meæ professionis, & vocationis foret, bono exemplo alios ad Deum adducere, meis sæcularibus actibus, malisquæ exemplis alios à Deo meo ad peccandum abduxi. Nè reminiscaris delicta mea, sed parce peccatis meis! Propono, exactâ Regularum observantiâ, & executione bonorum operum, præsertim in hoc, & hoc N. N. posthabitis respectibus humanis, bonum præbere exemplum, nè tandem plurimarum, non tantùm propriarum, sed etiam alienarum culparum reus coram Judice vivorum, & mortuorum inveniar.

Fructus: A sæculi actibus se facere alienum, & bonis actibus alios excitare ad bonum.

Tessera: Væ homini illi, per quem scandalum venit! Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est!

Functum 2. At illi respondentes dixerunt: Reus est

mortis! Perpende, inquit, D. Chrysostomus, summam iniquitatem, ipsi accusant, ipsi discutunt, ipsi sententiam proferunt. Nec mirum, quia ipsi Judæi rei erant mortis, hinc & Christum mortis reum judicârunt; juxta illud ad Romanos 2. In quo judicas alium, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas! Cave tu à judicio temerario alijs inferendo.

Propositum: Sæpè, O anima mea! zelum te habere putas, & passione moveris: aliorum facta judicas, & dijudicas, tua autem vis præteriri! Ubi charitas proximi? Ubi imitatio Christi, nec adulteram quidem in hac vita judicare volentis? Ah! absit deinceps, absit omnis præcipitantia in alijs judicandis, absint suspensiones de Superioribus, & proximis! nunquam alios judicabo, quaecumque factum sit, semper meipsum considerans, memetipsum judicabo, ut non judicer, sicque à Domino corripiar. Denique licet omnes insurgant adversum me, omnes me clament reum mortis, non timebit cor meum, quia in uno Jesu, & in conscientia bona spem meam ponam. Amen.

Fructus: Quaecumque vides, quantum fieri potest, in bonum interpretari.

Tessera: Nolite judicare, ut non judicemini.


Punctum 3. Reus est mortis! Considera, quòd tantum dicant: Reus est mortis! qualitatem non determinant, cum Levit. cap. 24. v. 16. Blasphemus lapidari mereretur, ut factum legimus

legimus cum D. Stephano, *Act. 7. v. 58.* Sed genus mortis Pontifici, ac sibi ipsis liberum relinquunt, jam enim statuerunt eum crucifigere, ut in omnibus ipsi legis transgressores apparerent. Ex hoc patet clarè, quod ait Scriptura: *Peccator, cum in profundum venerit, contemnit!* Nulla ei lex est amplius posita, nihil curat de præceptis Divinis, aut Ecclesiasticis, sed in omnem transgressionem, quâ datâ portâ, ruit! Principijs obsta, & minimorum curam habet, tunc nunquam ad graviora pervenies!

Propositum: Ah! quanta iniquitas horum, scilicet: iniquorum Judicum? sciebant, Jesum virum justum, & sanctum, patratores multorum Miraculorum, nullis criminibus obnoxium, & tamen reum mortis clamant: Sic, sic agitur, cum impius in profundum malitiæ suæ barathrum venerit, quemlibet sanctè, & virtuosè operantem contemnet, nè & ego paulatim de malo in malum, de peccato, in peccatum, decidam, & tandem omnia sacra, & Divina contemniam, curam habebo minimorum statutorum, & sacræ Regulæ meæ.

Fructus: Cura minimorum.

Tessera: Qui spernit modica, paulatim decidet.





FERIA IV.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

Et exspuerunt in faciem ejus!

Punctum 1. Considera, quomodò faciem suam, in quam desiderant Angeli prospicere, Jesus non avertit à conspuentibus in eum; & Nota bene, quod docet Ludolphus Carthusianus: *Faciem Christi conspuunt, qui scedis conscientiam suam cogitationibus, & actionibus polluant: quia enim Christus conscientiam sanctam inhabitat, in qua Dei facies, id est, imago relucet, hinc est, quòd, qui conscientiam suam peccatis polluunt, quasi sputum in faciem Christi projiciunt.*

Propositum: O Anima mea! Vides, quomodò effrontes scurræ, & temulenti satellites toto conatu ex imis visceribus educta crassa, putida, & purulenta sputa conjecerint in speciosissimi præ filiis hominum frontem, genas, & os Sacrosanctum! O quanta injuria! quanta ignominia Filij Dei! quàm facile potuisset hanc à se scdissimam ignominiam depellere solo Spiritu oris sui, interficiendo impios? sed patitur lubens, volens hanc injuriam, ut abluantur scdissima sputa peccatorum, quibus tu faciem, & imaginem suam conspurcas, quam habet in anima tua: Ah! bone Jesu! hanc ineffabili sputorum patientiâ,

tientiâ, & prætioso Sanguine tuo ablue foeditates animæ meæ : Custodiam deinceps faciem, & imaginem Dei in anima mea ab omni labe, & iniquitate verborum, cogitationum, & operum, nè ullo modo conspurcetur, aut denigretur. Insuper præteritas maculas, ut eluam, omnia hodie uniam ignominiaæ Jesu, quâ sic à Judæis foedari voluit ; ut ego munder.

Fructus : Actus vitæ suæ omni horâ custodire.

Tessera : *Amplius lava me ab iniquitate mea : Cor mundum crea in me Deus !*

Punctum 2. Considera, quomodò ebrij illi nebulones in faciem Christi, non tantùm salivæ sputis, sed virisimiliter etiam excreationibus suis foedissimis spuerunt ! Ubi notanda est moralitas S. Antonij de Padua : *Facies Christi sunt Ecclesiæ Prælati, per quos tanquam per faciem cognoscimus Deum. In hanc faciem per-versi subditi conspuunt, cùm ipsis Prælati detrahunt, aut maledicunt. Quoties tu similem contumeliam, & ignominiam Superioribus intulisti ?*

Propositum : O anima mea ! quomodò potest in te vivere aliqua scintilla murmurationis, & resistentiæ contra Prælatos, & Superiores tibi à Deo Præpositos, si cogites ex practico fidei Divinæ instinctu, uti debes juxta verbum æternæ Veritatis, quòd in ipsis resplendeat authoritas ipsius Dei viventis ? cùm Paulus Apostolus quemlibet Christianum ju-

beat subditum esse, etiam infidelibus, & impijs, qui humanâ lege imperandi potestatem acceperunt? major utique obedientia, amor, & reverentia debetur ei, qui à Deo ipso constitutus Præses, & Prælatus, à legibus Divinis potestatem accepit. Cavebo igitur quàm maximè, nè Superioribus meis detrahā, aut ignominiam aliquam inferam, disponant de me, & circa me, quidquid velint, &c.

Fructus: Honorare suos Superiores.

Tessera: Cui honorem, honorem! Qui vos spernit, me spernit!

Punctum 3. Considera, quàm ignominiosum, & abjectum sit, à talibus in ipsam faciem conspui? & attende, quid dicat Ludolphus Carthusianus: *Potest dici, quòd ad litteram Christum in faciem conspuunt, qui Eucharistiam sumunt indignè: Quicumque enim pollutâ conscientia Corpus Christi in os sumunt, hi salivâ suâ peccato infectâ Sacramentum contingunt, mades faciunt, & deglutiunt, ac per hoc in faciem Christi conspunn!*

Propositum: O quoties in faciem Christi conspui! qui tam carnalis, & mundanus, tam immortificatus à passionibus, & plenus concupiscentiarum motibus Eucharistiam accessi: ingemisco, & doleo, ex toto corde tot peccatis oneratus faciem Christi toties conspurcasse, Sacramentum indignè sumpsisse, & per hoc non vitam, sed mortem mihi conciliasse: Non sic imposterum, mi Jesu! sed cum summa humilitate cordis, cum plena
fide

fide, & intentione honoris Dei, te accedam! ideo priùs diligenter examinabo conscientiam meam, & pro posse meo, verâ contritione, & humili confessione mundabo eam, ita, ut nihil grave habeam, aut sciam, quòd me remodeat, & liberum accessum ad te impediat.

Fructus: Petere frequenter puritatem mentis, & corporis: & contrarias cogitationes cordi suo advenientes mox ad Christum allidere.

Tessera: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum!*
Cor mundum crea in me Deus! Fiat cor, & corpus meum immaculatum coram te!



FERIA V.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

Et velebant faciem ejus!

P*unctum* 1. Considera, quomodò Christi facies plena gratiarum turpiter velata fuerit, in quam desiderant Angeli prospicere, quam nominatim Rex David sibi exhiberi oraverat: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus! Velant autem hanc faciem* (inquit Hugo Cardin. in *Lucam*) *qui sibi non permittunt ostendi veritatem*: O quoties hoc modo amabilissimam hanc Christi faciem sordido velo obtexisti? dum scil. propositas à Superioribus circa vitam tuam religiosè instituendam æternas ve-

ritates aut despexisti, vel non æstimasti, aut neglexisti.

Propositum : O Jesu bone ! nè tu faciem tuam abscondas à me ! nolo hoc modo amplius abscondere faciem tuam, sed ad conformandum me huic mysterio, hodie sæpius corde contrito aspiciam faciem Crucifixi turpissimis meis peccatis velatam : deinde avidis auribus excipiam, si Superiores, & confratres mei veritatem mihi dicant, eorum admonitiones, correctiones magni quoque faciam, & pro posse, quæ hætenus neglexi, corrigam, ut sic videndo faciem Christi amabilissimam tandem salvus fiam.

Fructus : Objurgationes, & correptiones à Superioribus factas, libenter, & humili corde accipere.

Tessera : *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me ! oleum autem peccatoris non impinguet caput meum ! Ostende faciem tuam, & salvus erimus !*

Punctum 2. Considera, quantâ insolentiâ, & sinè ulla, etiam ficta, ratione Jesum percusserint, traxerint, & vexârint, ut videatur dari quædam oppositio inter ipsos, & amorem Christi ; quod ponderans S. Chrysostomus, Homil. 86. in Mattheum, ait. *Vt ipse nihil lenitatis prætermisit, sic illi nihil contumeliæ, nihil impietatis, sed tam verbis, quàm factis explere furorem suum conati sunt.* Ubi notandum, quòd in domo Summi Sacerdotis Caiphæ tot contumelijs,

tumelijs, & convitijs Christus affectus fuerit: quia, prò dolor! sæpè indignis modis Christus Dominus in Sacerdotum, & Religiosorū atrijs tractatur, quando nempe contingit, ab eis virtutes, & justitiam exulare, ipsosque in vitiorum cœno volutari.

Propositum: O mitissime Jesu! verè nihil lenitatis, & bonitatis prætermisisti, ut tandem durissimum pectus meum, & impœnitens cor emollires, quod tamen hætenus tam ingratum se erga te exhibuit, ut cumulando peccata peccatis manifesto periculo damnationis se exposuerit: idcirco ex toto corde doleo firmiter proponens, nè te ampliùs offendam; & sic sensim ad interitum ruam, observare minima sacræ Regulæ, & statutorum, & quoties hodie in minimo legem Dei, vel Regularum statuta voluntariè transgressus fuero, toties me in abscondito in faciem cædam, aut aliam pœnitentiam agam.

Fructus: Malle milies mori, quàm mitissimum Jesum in Domo Dei vel levissimè offendere!

Tessera: Dilectus meus in Domo mea fecit scelera multa! An tu malus, quia ego bonus?

Punctum 3. Considera, quàm ignominiosè, Jesus interrogatus fuerit: *Prophetiza, quis te percussit?* Super quæ verba Victor Antiochenus inquit: *Qui corda, & renes scrutatur, omnis Prophetiæ auctor est, & largitor, quomodò is, quisnam ipsum cecidisset, ignorare potuisset?* Hoc modo
Christi

Christi faciem velanter, eum percutiunt, & quærunt: quis te percussit? qui infrunitè peccant, quasi eos Deus non videat: Vel, ut Ludolphus Carth. p. 2. cap. 60. ait: *Qui sub velamine cuiusdam libertatis, liberè peccant.* Tolle hanc perniciosam libertatem, ut frui gaudeas libertate filiorum Dei.

Propositum: Nolo impiam libertatem peccandi, sed amplector sanctam necessitatem bene agendi. Insuper opto, ut ad imitationem dulcissimi Redemptoris mei illudar, etiam ob bona talenta, sicut Christus ob suam scientiam Divinam stultus, ac insipiens fuit habitus: Quoties etiam transiero, vel aspexero Crucifixum, petam ex toto corde, ut piissimus Iesus mihi prophetizet, meque illuminet, ut peccata mea videam, & cognoscam, quomodo, & quoties eum infrunitè, & impudenter percusserim?

Fructus: Desiderium cognoscendi suos defectus, sequè humiliandi.

Tessera. Domine Iesu! noverim me, noverim te!
Deus meus! illumina tenebras meas!



FERIA VI.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

Nescio eum!

Punctum 1. Considera Petrum ab Ancilla interrogatum, & negantem! Nec mirum, quia

quia, ut D. Laurentius Justin. *de Triumph. Christi Agone* cap. 8. ait: Dominum quippe ignarus sui, passione timidus, & frigidus charitate, solo corpore sequebatur, totus timore correptus à charitate sua tepuit: & qui à suo fervore cadit, & tepiditates in Dei amore admittit, in grandia peccata cadit: Caveas, ne tepor in tuis functionibus spiritualibus ad similem ruinam te præcipitet!

Propositum: O quàm longè recessi à primo fervore vitæ religiosæ! & quæ causa, nisi quòd minima peccata, diaboli famulas, ut silentij transgressiones, risus, distractiones, temporis minutissimi perditionem non vitaverim: principijs igitur mearum passionum, & affectuum inordinatorum obstabo, firmissimè cum Petro eligens potius mori, quàm vel levissimè adjuvante gratiâ suâ Deum offendere, aut à fervore remittere. Insuper me ipsum sæpiùs confundam, quòd ad interrogationem ancillæ, scil: corporis mei, vel voluptatis alicujus, toties Deum negaverim, & quidem trinâ negatione, per verba, cogitationes, & opera, per intellectum, propriam voluntatem, & memoriam.

Fructus: Diffidentia sui, & conatus statim resurgendi, & ad pristinum fervorem sese reparandi post lapsum.

Tessera: Diffidam mihi, fidam in te. Erravi, sicut ovis, quæ perijt; quære servum tuum!

Punctum 2. Considera Jesum benignissimè oculis suis Petrum respicientem, & in eo lachrymas provocantem: *Nec enim fieri poterat* (inquit S. Hieronymus in *Math.* *ut in negationis tenebris permaneret, quem lux mundi respexerat.* O quoties hæc Divina lux te respicit, & foeditatem peccatorum, etiam venialium, simulque acerbiter poenarum hiscè peccatis deputatarum tibi ostendit? Attende, nè, dum hanc lucem admittere recusas, æternis tenebris te adjudicatum sentias!

Propositum: O efficaces oculos pijsimi Redemptoris! quem enim illi efficacis gratiæ auxilio respiciunt, non erit abjectus, & despectus coram Deo: etiam durissima corda emolliunt, & inflectunt ad poenitentiam: Ideo Petrus, quantumvis gravissimè lapsus, tamen ad benignissimum Jesu aspectum confestim fuit in se reversus, & flevit amarè. O dulcissime Jesu! hunc gratiosum aspectum nè auferas à me, & dona gratiam, nè illi meis negligentijs, & peccatis obicem ponam. Proinde erit hodie mihi curæ, ut quoties hora sonuerit, & quoties imaginem Crucifixi præteriero, peccatorum meorum tanquam ad galli cantum recordatus dicam: Respice me Domine, oculis misericordiæ tuæ, quibus Petrum respexisti peccantem! Dissolve gelu cordis mei, ut cum Petro resolutus in lachrymas peccata mea deplorem!

Fru-

Fructus: Frequens petitio Divinæ gratiæ.

Tessera: *Respice in me, & miserere mei!*

Punctum 3. Considera Petrum egredientem foras, & amarè flentem, ut præteritas negationes expeditiùs deploraret, & ut à novis cautiùs abstinere: Unde Venerab. Beda ait: *Non in atrio Caiphæ retentus poterat agere poenitentiam, egreditur foras, ut ab impiorum consilio sequestratus pavidæ negationis sordes liberis fletibus abluat.* Tu quoque egredere foras, ut peccata expeditiùs deplores, & à novis cautiùs abstineas: Si enim in occasione peccandi persistas, timendum, nè iterum, & sæpiùs in peccata cadas.

Propositum: Quid prodest tibi, Anima mea! detestari peccatum, si post horam statim re-incidas in illud? qui efficaciter intendit finem, etiam vult media ad finem, & qui efficaciter abhorret malum, debet etiam relinquere occasiones inducentes in illud: Ideo toties redis ad vomitum, quia non devitas occasiones, in quibus frequenter te cecidisse meministi. Exi tandem cum Abraham de Ur Chaldæorum cum Loth de Sodomis, cum Petro ex atrio Pontificis; relinque conversationes, familiaritates, colloquia, consuetudines, in quibus Deum tuum offendiisti, & in angulo solitudinis deplora peccata tua.

Fructus: A malis occasionibus, & consuetudinibus ad salutarem poenitentiam, & poenitentia

nitentiæ solitudinem se recipere.

*Tessera: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,
& projice abs te!*

Lazare! Veni foras!



Sabbatho ante Dominicam III.

Quadragesimæ.

*Surgens omnis multitudo eorum, duxerunt eum
ad Pilatum.*

P*unctum* 1. Considera, quàm astutè malitiosi Judæi determinant, ut omnis multitudo veniens adducat Jesum ad Pilatum, nè tantæ multitudinis vociferationibus auderet etiam constantissimus Judex resistere, sed in nefario crimine ei consentire: Hinc S. Leo *serm. 3 de Pass.* Offerebant Iesum duris nexibus vinctum, & clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere. Hoc modo, & tu procedis cum Christo, quando multitudine frivolæ rationum Superiorum ordinationes impugnas, & malum propriæ inclinationis tractum protegis, atque defendis.

Propositum: Cùm Superiorum acta, & facta taxare, & eorum voluntatem fictis rationibus in suam trahere magnum sit malum in congregatione, idcirco firmiter propono, nunquam alios inducere, & in meam senten-

sententiam trahere, ex hoc fine, ut faciliùs hoc, vel illud à Superioribus meis obtineam, multò minùs, ut conglobatis falsis rationibus, id, quod genio meo tantùm arridet, ab ipsis extorqueam, sed semper eorum voluntati, & dispositioni me simpliciter subiciam.

Fructus : Præceptis Abbatis, vel Superiorum obedire.

Tessera : *Qui se subtrahit ab Obedientia, ipse se subtrahit à gratia. Lib. de Imit. Christi. A voluntatibus tuis avertere.*

Punctum 2. Quid est Veritas? Bene quæsit Pilatus, non autem expectavit responsum, sed *malè fecit quæstionem* (Hugo Victorinus) & non expectavit solutionem: sic multi transitorio fervore conversi ad Deum vera bona desiderare incipiunt, sed eadem mentis mutabilitate iterum ad transitoria affectu effusi in mentis proposito non perstant, aut persistunt. Te ergò interroga : *Quid est Veritas?* Sed expecta responsum, quoties tibi tua conscientia dicat, à vero ad falsum, à luce ad tenebras, à virtute ad vitia non esse declinandum.

Propositum : Pilatus quidem quæsit veritatem, sed noluit audire, nimis citò egressus: ego non tantùm petam, quid sit veritas? quid sit faciendum, quid omittendum? sed audiens Divinas inspirationes, adhortationes, & admonitiones internas, sive externas, etiam ipso opere perficiam, nè, sicuti

servus sciens voluntatem Domini sui vapulem multis. Præterea veritas, quoniam alia est vera, alia ficta, hæc consistit in operibus, illa in corde, & intentione, in omnibus operibus meis diligenter quæram! *Quid est Veritas?* quæ est intentio mea? & sic omnia ex corde propter solum Jesum faciam, & propter solam voluntatem Dei: hæc enim est veritas, & regula omnis boni.

Fructus: Agnitæ veritati, inspirationibus, & admonitionibus internis non resistere.

Tessera: Loquere, quia audit servus tuus!

Qui ex Deo est, verba Dei audit!

Punctum 3. Ego nullam invenio in eo causam. Considera hanc Præsidis Pilati in favorem Redemptoris factam protestationem: quam admiratur Simon de Cassia lib. 3. dicens: *Magnum testimonium ad memoriam posterorum, quod homo gentilis, cultor idolorum, ignarus Divine legis, nihil in Prophetis, aut Prophetis agnoscens, de Christo testimonium, quod in eo nullam inveniat criminis notam, nullamque condemnationis causam.* Quam ergo tu causam invenis Deum offendendi? leges illius convellendi, qui Christianus, vel Religiosus es? Patrocinare innocentie Christi, per vitam innocentem.

Propositum: Verè nullam in te causam invenio sanctitas infinita, O innocentissime Agne, offendendi, sed bene causas innumerabiles audiendi te, & serviendi tibi, cum nullum sit momentum, in quo non plurimis

mis à te beneficijs cumuler. Imò bene in me invenio causas mortis, pœnarum, & suppliciorum, & maximè, quòd te summum bonum meum toties offenderim. Dicam ergò, quoties ad peccatum tentatus fuero cum S. Polycarpo: *Quomodò possum esse contumeliosus in Regem meum, qui me in hoc usque tempus servavit incolumem?* imò tot, & tantis affecit beneficijs? Si quid etiam patiendum occurrat, offeram illud Jesu meo in satisfactionem pro meis innumerabilibus offensis, quibus in ipsum sinè causa injuriosus fui.

Fructus: Omne malum culpæ cavere, nè sinè causa offendas Jesum, tuâ solius causâ patientem; & omne malum pœnæ libenter tolerare pro resarciendis offensis in ipsum commissis.

Tessera: *Maledicta hora, in qua non amavi te!*
In te uno omnia habentes, non debuimus relinquere te!



Dominica tertia Quadra- gesimæ.

Et misit eum ad Herodem.

PVnctum 1. Considera, quomodò à Judæis fuerit avulsus Jesus à Pilato, & cum summa invidia ad Herodem ductus, quid autem per viam in itinere ab Herode contigerit, in hæc verba refert Lucas Burgensis in *Lucam*: *Reductus putatur Iesus aliâ viâ, quàm venerat,*